

gmata ipsa christianae religionis, ad quae confirmanda haec miracula patrabantur (1), nil nisi sanctitatem, sapientiam et sublimitatem spirant, daemone tam invisae ac directe tendentia ad destructionem regni diabolici, ut, ubicumque religio christiana recepta fuit, collapsus sit daemonum cultus, et unus Deus cum detestatione daemonum colitur. Praeterea haec Christi et apostolorum miracula facta sunt inter preces et cum invocatione divini Numinis (2); nec unquam aliis contrariis prodigiis fuere confutata: ergo prudenter dubitare non possumus, quin Christi et apostolorum miracula fuerint vera et divina.

53. QUÆRES IX. *An Christus ope ineffabilis Dei nominis e templo hierosolymitano furtive subtracti miracula fecerit?* R. Est hoc merum figmentum quorundam rabbinorum, qui teste *Salmerone* (3) in quodam libello contra Christum scripto sequentem fabulam divulgabant. «Tempore *Helena*, inquit, quae universae terrae Israël dominabatur, Iesus Nazareus venit in Ierusalem, invenitque in templo Domini lapidem in quo sederat olim arca Domini, et erat in eo scriptum *Scem Hammephorusc*, id est, nomen (Dei) expositum. Qui vero illius nominis litteras addiscebat et sciebat, poterat edere miracula quae vellet. Sapientes vero Israël cum timerent, ne populus disceret illud nomen, et virtute eius abuteretur, fecerunt duos canes aereos supra duas columnas contra portam domus sanctuarii; et si quis ingressus litteras illius nominis didicisset, exhibant canes illi aerei, et allatrabant, ita ut homo perterritus oblivisceretur nomen et litteras illas, quas didicerat. Venit ergo *Iesus*

(1) Vide supra sect. 2, n. 50.

(2) Vide supra n. 50 et 48.

*Nazareus*, et cum didicisset illas litteras, scripsit eas in membrana, deinde incidit crus, et in incisione illam inclusit, et pronuntiato nomine, nullum sensit dolorem, et rediit cutis sicut prius erat. Egressum de templo allatrabant canes aerei, et quam primum nomen oblitus est. Veniens domum tamen, aperto cruce, extraxit membranam, et nomine illo prolato coram trecentis decem adolescentibus, fecit stare claudum super pedes, ad probandum se natum de virgine, sanavit etiam leprosum. Et accusatus, et ductus ad reginam, coram ea mortuum suscitavit per nomen Dei memoratum.... volavitque in coelum coram regina, etc., etc.» Sed, ut ait *Salmeron*, certe crassa est et supina haec iudaeorum fabula. Nam si unquam nomen datum est iudaeis, per quod ederentur miracula quae vellet, cur non tempore obsessae civitatis a *Tito* et *Vespasiano* se illo nomine tutati sunt, ut non caperetur civitas, vel saltem ne caperentur, vel occiderentur iudaei, vel cur non omnes virtute huius nominis evolarunt in coelum, aut si non omnes, saltem aliqui? Deinde stultissimum est, et ab ignorantia historiae profectum, quod Christus vixerit tempore *Helena* matris *Constantini*, vel *Helena* *Adiabonorum* reginae in iudaeos beneficae. Plura contra dictam rabbinorum quorundam fabulam vide apud *Salmeronem* loc. cit. Denique contra eiusdem fabulae auctores iudaeos sic argumentor: Vel ad pronuntiationem divini nominis a Christo occulte factam Deus patravit illa miracula, vel daemon? *Non daemon*, ut praecedente quaestione ostensum est. Ergo ea patravit *Deus*:

(5) Vide tom. 6 operum *Salmeronis*. Tract. 4 de miraculis Christi, p. 49 et 20. Edit. Colonienus. an. 1602.

atque Deus non potest patrare miracula in confirmationem falsi (1): ergo divinitas Christi in cuius confirmationem Christus miracula patravit (2), non potest esse falsa; adeoque neque religio christiana, quam Christus fundavit, falsa est.

54. QUÆRES X. *An miracula Christi fuerint effectus naturales sui temperamenti, aut suae imaginatricis virtutis, et fortis imaginationis, etc.?* R. Negative. Quamvis enim teste *Salmerone* quidam recentiores apostatae, qui de occulta philosophia libros ediderunt, Christi miracula in optimum eius temperamentum retulerint, alii vero duce *Avicenna* (3) contenderint, aut contendant, imaginatrice virtute, et cogitatione valde vehementi prodigia edi posse; tamen cuivis ratione humana utenti per se patet, non nisi absurdissime dici posse, Christum suo temperamento, aut forti imaginatione suscitasse ad vitam mortuos, aquam in vinum commutasse, paucis panibus, atque piscibus plura millia hominum in deserto saturasse, etc. Plura contra fabulosas illas assertiones incredulorum legi possunt apud *Salmeronem* (4) *Spagnium* (5), vel alios. Vide etiam, quae infra (6) dicemus.

55. QUÆRES XI. *An sit paritas inter miracula Christi, et prodigia ad tumbam archidiaconi parisiensi, qui Paris dicebatur, patrata?* R. 2. *Aut inter historiam evange-*

(1) Vide supra n. 51. (2) Ibid. n. 50.

(3) Docet *Avicenna* in Quarta Sexti, posse animam humanam per sortem imaginationem, sive per intensum affectum, non solum proprium corpus, sed extrinsecam, alienum transmutare; adeo ut fortis *Socratis* imaginatio corpus sanum *Platonis*, quo vellet morbo et languore possit conficere, vel aegrotum ad sanitatem reducere. Imo etiam credit, eadem intensa imaginatione nubes, pluvias, gran-

*licam miraculorum Christi, et historiam VAMPRIORUM?* R. Negative quoad utrumque membrum. Antequam autem veritatem meae responsionis demonstrem, observo, quod huic quaestioni discutientiae ansam praebeat genevensis philosophus *Jacob Rousseau* cum aliis incredulis, qui ausi sunt, et audent, inter miracula Christi Domini, et fictitia illa prodigia dicti archidiaconi parisiensi paritatem instituire. Addit *Rousseau*, et ait, historiam *Vampiriorum*, quamvis plurimis medicorum, parochorum, iudicum et magistratum testimoniis confirmata fuerit, insuperhabitis his omnibus hodie ab omnibus sapientibus reiici: ac proinde idem de miraculis Christi, licet innumera pro se habeant testimonia, sentiendum. Sed o quam infirmi, quam inanes sunt hi conatus incredulorum adversus miracula Iesu Christi! Quis enim eruditorum ignorat, neminem hodie prudentem esse, qui non perspectas habeat *Appellantium* sectae in illis miraculis *Parisi* fingendis imposturas plane impias? Quis ignorat, hodie a plerisque sapientibus illas *Vampiriorum* apparitiones delirio adscribi? Et tamen increduli audent, ista cum Iesu Christi prodigiis comparare quae omnis aetatis atque locorum sapientes, etiam ex eius iuratis hostibus (7) contestatissima esse, agnoverunt ita, ut aliud non haberent, quod opponerent, quam ut magiae et arti-

dines, nives, ventos, et reliqua naturae opera e caelo posse deduci, vel coliberi. Ita *Avicennae* opinionem recenset *Salmeron* loco mox citando.

(4) Tom. 6, tract. 4 de miraculis Christi, p. 20-25. Edit. Colon. an. 1602.

(5) Tom. 2 de miraculis, part. 5, pag. 570-575; et pag. 615-620. Edit. Rom. an. 1785.

(6) Num. 65 et 66.

(7) Vide praeced. quaest. 7, n. 51.

diabolicae (1), aut furtive sublato ex templo nomini Dei Tetragrammato (2) ea tribuerent. Suffecerit ergo paucis animadversionibus ad propositam quaestionem respondere, ac incredulorum impiam comparisonem miraculorum Christi cum fanaticis prodigiis ad tumbam *Parisi*, aut cum fictis *Vampiriorum* apparitionibus, refutare.

Itaque I. Prodigia ad tumulum *Parisi* facta in caemeterio s. *Medardi* contestata quidem sunt a viginti duabus personis, sed sectae *Appellantium* addictis. II. Primum omnium illorum prodigiorum in virgini nobili *le Franc* dicta patratum, falsi convictum evidenter est coram constitutis iudicibus per testimonium omnino 40 unanimes attestaciones; etsi non minus antea ab illis *Appellantibus* idem prodigium assertum fuerit. III. Eodem tempore, quo *Parisi* miraculorum fama crescebat, *Senonensis* archiepiscopus doctrina et integritate fidei apprime clarus, viginti duo miracula *Parisi* studiose examinata, publico iudicio ut falsa, et dolis plena condemnavit. IV. Concluso semel auctoritate publica caemeterio s. *Medardi*, miracula illa mox cessarunt, nec effectum ullum honestum habuere, nec apud prudentissimos quosque, etiam qui de secta *Appellantium* caeteroquin erant, fidem ullam, sed risum tantum et indignationem retulerunt. Quanta ergo protervia et insania est, comparisonem instituere inter *Convulsionarios* illos ad tumulum *Parisi* prodigia simulantes, et inter testimonia evangelistarum de miraculis Christi Domini? Impostores illi, postquam fraudes ipsorum deprehensae, et caemeterium s. *Medardi* muro septum fuit, ex metu,

(1) Vide praeced. quaest. 8, n. 52.

(2) Vide praeced. quaest. 9, n. 53.

(3) De fictitiis haeec prodigiis, quae ad

ne in manus potestatis publicae incidant, non amplius publice comparere audebant. Elapsum iam est plus quam dimidium seculum a gestis illis ad tumbam *Parisi* fanaticis prodigiis, et rarus de illis iam sermo est, imo aeternae oblivioni fuissent mandata, nisi annales illorum temporum eorum meminissent. E contrario quae potestas, quis tyrannus apostolis silentium imponere potuit, ne publice Christum, huiusque prodigia praedicarent? Quis unquam haec falsitatis convincere potuit? Quomodo factum est, ut evangelistarum narrationes et scripta de Christo eiusque miraculis a tot persecutoribus non fuerint suppressa, sed potius a tot martyribus, profuso etiam sanguine, pro veris et divinis agnita? Praeterea sanationes aegrorum ad sepulcrum *Parisi*, nunquam erant subitaneae et instantaneae, quales erant illae a Christo factae: sed aliquot aut plurium dierum intervallum, ac diuturnae praeparationes requirebantur: intra quod tempus aegri ad sepulcrum *Parisi* sanandi, usum medicinarum aut remediorum, quibus iam antea utebantur, continuabant. Porro multi infirmi ad tumulum *Parisi* non solum sanitatem non obtinebant, sed exin peius se habebant, quam antea, multaque prodigia, quae ab initio tanquam indubitata, et ad tumbam *Parisi* certo patrata divulgabantur, postea tanquam inania et nulla reiecta sunt. Paucis: fraudes horum fanaticorum prodigiorum in dies magis patebant: et complures ex ipsis *Appellantibus* ea non credebant. En manifestam et multiplicem disparitatem inter miracula Christi et spuria illa prodigia, quae ad tumbam *Parisi* patrata fingebantur (3).

tumbam *Parisi* patrata dicebantur, erudite scribit *el. Bergier* in opere, cui titu-

56. Porro, quod pervulgatam illam *Vampiriorum* historiam attinet, ex cunctis contestationibus aliud demum evinci ipsorum medicorum decretorio iudicio haud potuit, quam communem phantasiae morbum in Hungariae (1) magnis caloribus saepe aestuantibus tunc temporis grassatum esse; a metu promotum eundem morbum, quo plures correpti, videbantur sibi videre mortuos de nocte ad se venientes, ad sanguinem ex ipsorum venis exsugendum: cuius deinde morbi sequela fuerit lenta macies, et consecuta inde mors ipsa denique. Iam vero, an etiam fuit effectus phantasiae tantum, dum Christus caecum a nativitate (2) illuminavit, dum *Lazarum* quatruiduanum (3) a mortuis suscitavit, etc.? Ceterum, etiamsi *Vampirii* seu mortuorum corpora revera surrexissent, et vivos dicta ratione infestassent (prout alicubi in *Polonia* reapse factum esse aiunt), id minime inter miracula numerandum. Non enim fuit vera ad vitam resurrectio, seu reunio animae cum corpore (qualis erat ex. gr. illa *Lazari*), sed daemon corpus hominis mortui ita movit et impulit; id quod naturalibus suis viribus potest, sicut corpora energumenorum movet. En! quam turpiter fallat, aut fallatur genevensis ille philosophus, dum cum verissimis Christi Domini miraculis inanimissima eiusmodi sensuum ludibria, seu praestigias comparare audet. Hodie vix aliqua *Vampirismi* me-

lus: *Certitudes des preuves du Christianisme*, part. 1, chap. 6, § 5, ubi etiam plures alios auctores, qui de iisdem prodigiis annotationes scripsere, citat.

(1) Observat tamen eruditissimus auctor *Feller* in suo *Catechis. philosoph.* tom. 2, pag. 94, Germanicae editionis, August. an. 1781, et ait, errare illos qui putant, *Vampirismum* tantum in Hungaria, *Polonia*, et *Moravia* reperiri: singulare enim

moria in urbibus Hungariae, ubi olim maxime viguisse dicebatur, restat; et homines melius edocti mirantur, si hac de re ipsis quaestiones proponantur, et nesciunt, quid interrogantes ex ipsis rescire cupiant. E contrario de miraculis Christi mundus hodieque perinde certior factus ac convictus est, ac erat tempore *Tiberii* et *Neronis*, ut *cl. Feller* (4) recte ait.

57. QUARES XII. An sit paritas inter miracula Christi, et prodigia APOLLONII THYANAEI, qui praeter varia alia stupenda prodigia, etiam mortuam puellam resuscitavit ad vitam, teste *Philostrato*; sicut etiam aliae mortuorum resuscitationes a gentilibus factae sunt? 2. Aut inter miracula Christi, et miraculosam sanationem, qua VESPASIANUS imperator (teste *Tacito* et *Suetonio*) *Alexandriae* cuidam gentili caeco visum, et alteri infirmam manus usum restituit? 3. Aut inter miracula Christi, et prodigia AESCULAPII? R. I. Valde absonum et paradoxum est, quod increduli tam facile narrationi de prodigiis *Apollonii Thyanaei*, *Vespasiani*, *Aesculapii* aliisque eiusmodi profanis historioli assensum praebeant, Spiritus, inquam, illi fortes, qui miraculis Christi et apostolorum tanto numero ac celeberrime palam editis, tanto praesentium numero, et ipsorum scriptorum gentilium et iudaeorum (5) testimonio roboratis praefracte fidem abnuunt. R. II. Nulla prorsus est paritas inter miracula Christi, et pro-

prorsus illius exemplum etiam narrari in itinere *P. Lobat* in gallicas insulas sitas in *America*, tom. 4, pag. 157, edit. Haag. an. 1724.

(2) *Ioan.* c. 9, v. 7.

(3) *Ioan.* c. 11, v. 44.

(4) *Loc. cit.* pag. 95.

(5) Vide supra sect. 2, n. 22, 23. Item sect. 5, n. 51.

digia illa, quae adversarii a gentilibus patrata adfirmant.

Nam prodigia APOLLONII THYANAEI sunt conficta, aut erant tantum praestigiae diabolicae, prout ostendit *Eusebius Caesariensis* (1) adversus *Hieroclem*, et *Huetius* (2), qui tria luculenter demonstrat. 1. Quod *Apollonius* iste fuerit homo intolerabilis arrogantiae, et impurissimae idololatriae doctor, unde facile concludes, qualia fuerint eius miracula (3). 2. Quod nulla *Philostrati*, nulla eorum, quae de *Apollonio* scripsit, monumentorum auctoritas sit. 3. Quod tota *Apollonii* historia non nisi romanensis fabula sit, a *Philostrato* (qui integro saeculo aut ultra post *Apollonium* vixit, et nullum historiae suae vadem sistit, nec testem nominat ingenii ostentandi, et ethnicis principibus gratificandi studio conficta, quo invalescentem Christi fidem fictitio hoc simulacro sufflaminaret. Ceterum resuscitationem mortuae puellae ab *Apollonio* factam, *Philostratus* dumtaxat ut dubiam narrat. Vapor enim ex vultu puellae, quae antea subito mori visa esset, surgebat, et ros de coelo cadebat, quo facile factum est, ut ex deliquo revocaretur (4). Vide etiam hac de re infra num. 94. in subiecta nota. Porro tam ad hanc, quam ad alias mortuorum resuscitationes a gentilibus factas, generatim respondeo, et dico, eas vel esse fabulosas, vel non fuisse suscitationes vere mortui, sed homines illos tantum fuisse apoplecticos,

(1) In opere contra librum *Hieroclis*, cui titulus *Περὶ ἀληθείης* seu amicus veritatis.

(2) In *Demon. Evangel. propos. 9, c. 147.*

(3) Vide supra n. 48, ubi notae, quibus vera miracula a falsis discernuntur, recensentur.

(4) Plura de *Apollonio Thyanaeo* vide

vel syncopticos, aut alio simili morbo, qui aegros facit apparenter mortuos, laborantes; prout erudite et solide per varia exempla ostendunt *Medina* (5), et *Salmeron* (6). Aliud est de miraculis Christi Domini ex gr. de resuscitatione *Lazari* quadridui, et iam foetentis, ut alibi (7) pluribus ostendemus.

58. Quod attinet factum VESPASIANI imperatoris, non desunt, qui diligentius in rei veritatem inquirentes, ut *Csapodius* (8), plures fraudis characteres in tota hac narratione proferunt, nimirum adulationem ex parte alexandrinorum ad obtinendam a dicto imperatore vetigalium imminutionem, indulgentiam ad hanc simulationem, ex parte *Vespasiani* ad stabiliendum imperium, quod recens adierat, mendacia sacerdotum, qui imperatori huic fictioni repugnanti persuadere conati sunt, ipsum *Serapidem* (quem Aegyptii ut Deum colebant) iussisse, aegros ab eo sanitatem postulare. Similiter *Baronius* ad annum Christi septuagesimum censet, illa *Vespasiani* miracula conficta fuisse vel studio *Apollonii Thyanaei*, qui eo tempore Alexandriae commorabatur, vel malitia iudaeorum, quorum pariter magnus numerus in eadem urbe tunc erat, adulari *Vespasiano* volentium tanquam Messiae qui iam advenerit, eidem applicando, quae ex Scripturis noverrant praedicta esse de Iesu Christo, et quae viderant contigisse in vero Christo, quem ipsi pro sua perfidia noluerunt recipere. Idem censuit

apud cl. *Feller* loc. cit. pag. 95. *Hermann. Goldhagen*, p. 5, introduct. in s. Script. n. 75. *Huetium*, loc. cit. *Spagnium* tom. 2 de miraculis, n. 1458, 1444, 1451, 1455.

(5) L. de recta in Deum fide, c. 7.

(6) Tom. 6, de mirac. Christi, tract. 4.

(7) Vide infra n. 85-95.

(8) *Rel. revel.* l. 2, n. 155.

*Fleetwoodius* apud *Trevoltianos* (1), et *Huetius* (2), cuius hac de re verba sunt ista: « Mirifica illa quidem *Vespasiani* opera quibus caeco cuidam visum restituisse, et alium manu aegrum sanasse fertur, a subdolis aegyptiorum artibus videntur profecta, inter quos acta res est. Fama acceperant illi fortasse a iudaeis, quorum multitudo ingens erat Alexandriae, *Iosephum* (nempe iudaeum) sacra quaedam oracula *Vespasiano* accommodasse... quae in iudaeorum Messiam conveniebant. His ne in adulatoria arte concederent aegyptii, Deum facere, divinae virtutis opera ei affingendo, voluerunt, quem iudaei Messiam fecerant. Cum ergo inaudiissent, Iesum coecum illito oculis sputo sanasse, et claudos ac debiles morbo liberasse, duos... subornant, quasi ille manu, hic oculis captus esset ». Verum « *Vespasianus primo irridere, aspernari*, verba sunt *Taciti* (3), quippe fraudem et palpum sentiens; tandem *vocibus adulantium in spem induci*; medicis praesertim rem fieri posse suadentibus, quippe doli fortasse consciis, cum dicerent, *huic non esse exsam vim luminis, et redituram, si pellerentur obstantia: illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur posse integrari*. Agnoscis, lector, simulatos morbos, quales illi sunt mendicorum aerusatorum, qui ad movendam misericordiam aegrorum habitu sese componunt. Re intellecta *Vespasianus* falsis morbis falsam medicinam adhibuit. alterius calcata manu, insputatis alterius oculis ». Ita *Huetius*. Alii, ut

(1) *Ann.* 1703, art. 189.

(2) In *Demonstr. Evang. propos. 9, c. 59, n. 6.*

(3) *Hist.* 4, c. 81.

(4) *Theol. Polemic.* p. 1, con. 5, art. 4, n. 25.

cl. *Pichler* (4), praestigias daemonis ibi intercessisse suspicantur, quatenus is organa oculorum, et manus caeteroquin integra, iterum reliquerit expedita ad suas actiones, ad quas, Deo permittente, eadem antea impedierat, qua ratione nec caecus, nec manu aeger proprie sanati fuerunt, quasi alter visum iam deperditum, alter nervos manus iam dissolutos recuperaverint, sed liberati solum ab appositis per daemonem impedimentis. Ceterum commemorare has qualescumque demum *Vespasiani* miras operationes est novum argumentum pro veritate miraculorum Christi afferre. Illae enim curam ab ethnicis vel iudaeis confictae sunt ab ipso primo ecclesiae saeculo, nisi ad elevanda miracula Christi? Ergo haec erant communiter tunc cognita et admissa ut vera.

59. Denique AESCULAPII mirae sanationes effectus erant mere naturales. Sacerdotes enim *Aesculapii* omnes medicam callebant artem: unde merito *Arnobius* saeculi tertii scriptor, factus e gentili christianus, vanitatem horum prodigiorum (5) ostendit, et inter alia ait: *Beneficia ista rerum sunt, non sunt curantium potestates*. Dein multa in fictitiis *Aesculapii* prodigiis per fraudem et dolum gesta esse, adeo pervulgatum apud graecos erat, ut *Aristophanes* (6) easdem fraudes facete traduxerit: idem exprobrant gentilibus christiani apud auctorem homil. *Clement.* (7), et *Origenes* contra *Celsum* (8) graviter confirmat. Porro nostram suspicionem quod in *Aesculapii* prodigiosis sanationibus fraus et dolum adfuerit, illud confirmat, quia in omnibus his cura-

(5) L. 1 adversus gentes.

(6) In *Pluto* action. 5, scen. 2.

(7) *Homil.* 9.

(8) L. 5.

tionibus legitur intercessisse oraculum, scilicet sacerdotum responsum, vel fictum aliquod somnium tanquam a Deo immissum, quo iussi fuerant aegri quaedam peragere ad obtinendam sanitatem, quam quaerebant.

60. SCHOLIUM. Quamvis prodigia Apollonii Thyanaei, Vespasiani, et Aesculapii ob allatas rationes merito negaverimus fuisse vera miracula: ideo tamen non universaliter negamus, ab homine gentili aut haeretico unquam fieri posse miraculum. Potest enim etiam a tali infideli miraculum fieri in commendationem alicuius virtutis, vel veri alicuius dogmatis. Sic Vestalis quaedam virgo, ut suam pudicitiam probaret, aquam cribro tulisse in Capitolium dicitur: de quo facto s. Thomas (1) ita loquitur: *Non est remotum a veritate, quod in commendationem castitatis Deus verus per suos angelos bonos huiusmodi retentionem aquae per miraculum fecisset.* Similiter miraculo Pauli episcopi novatiani aqua baptismalis ad praesentiam iudaei baptismum irrisuri evanuisse legitur, quo miraculo confirmatus est verus fidei articulus de baptismo; si tamen credendum est Socrati, qui hoc factum narrat (2); sed ipsemet de haeresi novatiana suspectus est.

61. QUÆRES XIII. *An Christus miracula in divinitatis suae confirmationem patravit?* R. Affirmative. Probationem huius nostrae assertionis vide supra (3).

62. QUÆRES XIV. *Si Christus tam manifesta miracula in confirmationem divinitatis suae et divinae missionis suae edidit, cur iudaei ea videntes, et romani, aliique gentiles ea audientes, in Christum non crediderint? Item cur ipsi daemones, Christum verum Deum esse, clare,*

(1) De potentia q. 6, a. 5 ad 5.  
(2) L. 7, c. 11.

*quamdiu Christus in terris debebat, non agnoverint?* R. I. et quaero ex adversariis: Si tam manifesta est virtutis pulchritudo, tam iusta eiusdem officia, cur non omnes homines, desertis vitiis, eam iunctis studiis sequuntur? nimirum ardua ad superos via est, facilis vero et praecipuus descensus averni. Idem dicendum ad quaestionem, cur non omnes ex iudaeis et gentibus in Christum crediderint, eiusque religionem amplexi sint.

R. II. ac imprimis dico, ideo plurimos ex IUDAEIS in Christum non credidisse, quia ipsis obstitit voluntaria caecitas, nec non invidia, et Christum calumniandi desiderium, aliaque praeiudicia populi iudaici, aut rationes politicae. Igitur non una erat causa pertinaciae iudaeorum. Prima, et omnibus communis erat, quod verbis illis (4) de Messia scriptis: *Dabo tibi gentes in hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae,* aliisque similibus male intellectis seducti, Messiam expectarent venturum cum regia maiestate, ac redempturum eos a iugo alienigenarum, sub quo a tempore captivitatis babilonicae ut plurimum premebantur. Hinc factum, ut etsi tempore adventus Iesu Christi omnes iudaei Messiae expectatione reipsa suspensi essent, ob propinquum maxime hebdomadam Danielis finem, nihilominus Iesum, in quo caeteri characteres prophetici tanta luce refulgebant, hoc solo nomine non reciperent; quod humilis is et abiecta secundum humanam aestimationem specie compareret. Altera causa erat arduum iter, quod Iesus ad coelum monstravit, multoque magis mirandum est, quod tot habuerit sectatores, quam quod plures eum sequi no-

(3) Num. 50.  
(4) Matth. c. 4, v. 6.

Iuerint. Praeterea principes iudaeorum, sacerdotes atque literati ex multis aliis titulis, ab amplectenda Christi doctrina abhorrebant: sacerdotes quidem, ne honorificis officiis et pinguibus templi redditibus destituerentur; principes, magistratus, ne innovatione religionis tranquillitas reipublicae et romanorum animi politicis suspicionibus turbarentur; literati, ne ipsorum doctrinis et superstitionibus despectis, omnis magisterii auctoritas ab ipsis ad unum Iesum Christum transmigraret. Denique plebs etiam iudaica tum auctoritate principum et sacerdotum (ut in morte Christi a Pilato expetenda patuit), tum summo in legem veterem studio et reverentia a sectanda nova Iesu Christi doctrina absterrebat. En! plures causas, cur iudaei, visis Christi miraculis, tamen non omnes in eum crediderint.

Quod autem plurimi ex ROMANIS, ac ceteris GENTILIBUS, qui miracula Christi plerique non viderant, sed tantum audiverant, ad christianam religionem conversi non sint, nemo mirabitur, qui illorum extremam in idololatria pertinaciam, effraeni vitae licentiae iunctam, satis perspectam habuerit. Nota est paganorum, et nominatim romanorum vitae et theatri praesertim publici licentia, impurissimorum numinum cultus, fastus et ambitio summa. Quis veritati tam rigidae, qualem Christus praedicavit, accessus ad tales animos? Maxime dum illa a iudaeorum gente primum proficisceretur, quam romani aliique gentiles pridem ultimo despectui habebant.

Denique ex historia evangelica colligitur quidem, DAEMONIBUS divi-

(1) L. 9 de civ. Dei, c. 21.

(2) Loc. cit.

(3) Ex numero horum incredulorum, teste Leland, etiam est auctor scripti, cui

nitatem Christi non omnino manifeste innotuisse; nam cum diabolus Christum tentans, eum super pinnae templi statuit, ad eundem non absolute, sed tantum conditionate et quasi dubitans dixit: *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Ait tamen s. Augustinus (1): *Magis magisque innotescebat (Christus) daemonibus, quantum esset.* Igitur daemones divinitatem Christi non omnino certo cognoverunt, quia Deus altissimis ex causis impedit quacumque demum ratione, ne hoc ipsis certo innotesceret. Unde s. Augustinus (2) inquit: *Christus eis (daemonibus) innotuit, quantum voluit: tantum autem voluit, quantum oportuit.*

63. QUÆRES XV. *Cur Christus, si vera miracula in confirmationem suae novae religionis fecit, ea non raro, et quandoque etiam minitans (Matth. c. 9, v. 30; Marc. 1, v. 43) prohibuerit publicari?* R. Malitiosum hoc incredulorum (3) dicerium adversus Christum et christianam religionem facile refutatur, si ad sequentes observationes attendamus. Quamvis Christus non omnia sua miracula tunc, quando ea patravit, propalari voluerit: tamen certum est, quod saepius divinitatem suam et divinam missionem suam miraculis publice patravit confirmavit, ut supra (4) iam ostendimus.

Quando autem quaedam miracula sua propalari vetuit, id factum est vel ad praebendum nobis modestiae exemplum; vel ad declinandam initio praedicationis hostium invidiam; vel ad divinam missionem suam paulatim et quasi per gradus demonstrandam; vel demum ob aliam aut alios peculiare fines a divino

titulus: *Religio christiana non fundata ratione.*

(4) Sect. 2, n. 25 et 50.

Servatore sapientissime intentos. Sic Marc. cap. 1. v. 43 et 44 vetuit Christus leproso, ne sui sanationem manifestaret, priusquam secundum legem a sacerdotibus sanus fuisset pronuntiatus; quia iudaici sacerdotes pro sua in Christum invidia facile potuissent eum a lepra mundatum non esse, pronuntiare, si publica huius prodigiosae sanationis fama hominem hunc antevertisset. Non igitur Christus leproso illi interdixit evulgationem huius miraculi in perpetuum, et pro omni tempore, sed vetuit tantum, ne id diceret, priusquam stetisset coram sacerdotibus, et ab ipsis secundum legem sanus fuisset recognitus et pronuntiatus. *Ait illi Iesus; vide nemini dixeris, sed vade, ostende te principi sacerdotum* (1). Volebat scilicet Christus non solum legis mosaicae custos videri, sed intendebat etiam suo miraculo omnem conciliare fidem et auctoritatem ab ipsismet sacerdotibus, atque ita postea illud palam fieri.

Cum autem Matth. cap. 9, v. 30 Christus duobus caecis a se domum reverso illuminatis comminatus est, *videte ne quis sciat*; id fecisse censendus est, quia hoc silentio omnem calumniae et cavillationis ansam praecidere voluit. Cum enim hoc miraculum privatim et velut in occulto patratum fuerit, potuisset doli aliqua suspicio oriri, quasi duo illi homines subornati fuissent a Christo aut eius discipulis, ut se et caecos et a Christo illuminatos simularent. Hanc suspicionem et calumniam declinaturus amantissimus Servator vetuit, miraculum hoc evulgari, certus, alia miracula, quae in publico fecerat, et quotidie palam

(1) Marc. c. 1, v. 44.

(2) Marc. c. 8, v. 22.

(3) Ibid. v. 25.

(4) Matth. c. 11, v. 21.

operabatur, abunde sufficere ad demonstrandam suam divinam missionem.

Porro, dum Christus Marc. cap. 8, v. 26 caeco prope *Bethsaidam* sanato dixit: *Vade in domum tuam, et si in vicum introieris, nemini dixeris*; specialis huius prohibitionis ratio colligitur tum ex ipsius miraculi circumstantiis, tum ex *bethsaiditarum* indole. Nam licet caecus Christo in vico *Bethsaida* (2) oblatus fuerit, eum tamen non sanavit, nisi (3) extra vicum, et sanationem evulgari vetuit, quia huius miraculi cognitione fraudare *bethsaiditas* voluit, ut pertinacem illorum animum plecteret, iuxta illud pridem antea a se de *bethsaiditis* dictum (4): *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida etc.* Indigni enim erant *bethsaiditae*, qui nova viderent miracula, quibus otiosa fuerant vetera. Nolebat enim eos testes huius miraculi habere, quos parum fideles agnoverat, ut *Salmeron* (5) ait, addens adhuc aliam rationem, cur Christus caecum illum *extra vicum eduxerit*, eique sanato prodigiosam hanc sanationem propalare in vico prohibuerit; quia nimirum idem miraculum coram paucis voluit facere, et iactantiae fugiendae exemplum nobis praebere.

Denique Matth. c. 12, v. 15 et 16: *Secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes, et praecepit eis, ne manifestum eum facerent*. Quae ultima verba duplici modo intelligi possunt. Nam I. Prodigosas has sanationes Christus evulgari prohibuit, ne scribas et pharisaeos, quos iam in mortem suam coniurasse noverat (6), irritaret. Noluit enim momenta a Patre suo praefinita praevertere, aut inimicis suis odii augendi ansam

(5) Tom. 6, tract. 52 de miraculis Christi, p. 205 et 206.

(6) Matth. c. 12, v. 14.

praebere (1). Confirmatur haec responsio ex eo, quia s. *Matthaeus* (2) addit verba *Isaiae*, quibus Messiae modestia et mansuetudo describitur: *Non contendet, neque clamabit etc.* Itaque Christus moderationis causa aufugit, et latere voluit. II. Haec verba: *Ne manifestum eum facerent*, etiam cadere possunt in personam Christi, et in locum, quo confugerat, ita, ut sensus sit: ne manifestarent eius personam et fugae locum. Sic enim tota fert historica series. Pharisaei sabbatum violatum indignantes, consilium Christi perdendi ineunt (3): eorum furori ut se subducatur Christus, recessit (4): secuti autem sunt eum multi, quos curavit (5). Ex his primum est concludere, Christum eisdem, et turbae ipsum comitanti prohibuisse, ne locum proderent, in quem cesserat.

En! peculiare rationes, ob quas Servator optimus merito ac sapienter quaedam miracula sua evulgari, dicto modo et in recensitis circumstantiis prohibuit; quamvis caeteroquin publica et cumprimis illustria miracula in confirmationem suae divinae doctrinae fecerit.

64. QUÆRES XVI. *Cur scriptores ethnici de miraculis Christi tam copiosis, publicis, et stupendis sileant?* R. Falsum est, ethnicos de gestis et miraculis Christi penitus siluisse. Contrarium enim iam supra (6) a nobis ostensum est: ubi etiam rationes additae sunt, cur non mirandum esset, etiamsi de illis siluissent.

65. QUÆRES XVII. *An miracula Christi ab evangelistis enarrata, reapse facta sint, ac proin in sensu literali intelligi debeant, vel an tantum sint narrationes allegoricae,*

(1) Vide *Gregorium Nazianz.* orat. 5.

(2) Ibid. v. 17, et seq. (3) Ibid. v. 14.

(4) Ibid. v. 15. (5) Ibidem.

(6) Sect. 2, q. 2, n. 22-24.

*symbolicae, atque propheticae, ut Woolstonus contendit?* R. Miracula Christi, ab evangelistis recensita, reapse patrata sunt, et contraria *Woolstoni* doctrina est impia ac detestabilis. Ut id clarius pateat, notandum est, quod *Woolstonus* in libro a se edito an. 1727, cuius inscriptio haec est: *Discursus de miraculis Salvatoris nostri in ratione ad praesentem controversiam etc.* asserere ausus sit, sensum literalem miraculorum Christi, contradictionem involvere, et hac de causa aut nullo modo, aut saltem non ea ratione, qua vulgo creduntur, illa patrata fuisse, sed esse narrationes *allegoricas, symbolicas, atque propheticas*. Conatur autem hoc assertum duplici argumento evincere. Primum est, patres antiquissimos et maxime venerandos negasse sensum literalem miraculorum Christi, ab evangelistis recensitorum: alterum est, eadem miracula Christi, si in sensu literali accipiantur, absurda et contradictoria involvere. Quod attinet secundum argumentum, id alibi (7) refutabimus: quod vero ad primum spectat, sciendum est, quod *Woolstonus* copiosa testimonia antiquorum patrum in medium proferat, ostensurus, eos negasse sensum literalem miraculorum Christi; quia nimirum sensu literali addebant abundantiore et per frequentem sensum spiritualem ac mysticum. *Si Patres sequi velimus*, inter alia *Woolstonus* ait, *evangelica historia non est habenda pro vera reali historia . . . . Historia vitae Iesu est dumtaxat emblematica seu symbolica repraesentatio spiritualis vitae Iesu in animabus hominum*. Verum teste *Ioan. Leland* (8) certum est, atque

(7) Patebit id per decursum huius operis.

(8) In opere suo ex anglico in germanicum verso, cuius titulus latine est:

a viris eruditis, qui *Woolstonum* refutarunt, luculenter demonstratum, quod patres illi sensum literalem et historicam veritatem gestorum Christi praesupposuerint, et eidem dein tanquam fundamento allegoricas suas et mysticas expositiones inaedificarint. Hac autem de causa affirmare, patres veritatem historicam gestorum et miraculorum Christi voluisse inficiari, extremae audaciae et inverecundae fraudulentiae assertum est. Id haud dubie agnovit ipse *Woolstonus*, qui in compluribus patrum citationibus commissae fraudis convictus est. Ostensum enim est, teste eodem *D. Leland* loc. cit., quod libros patrum tanquam genuina horum opera citet, quae tamen passim habentur pro spuris et supposititiis quod falsis interpretationibus, et illicitis interpolationibus ac mixtionibus verborum omnia tentarit, ut genuinum sensum citatorum auctorum vitaret: imo quod interdum eorum textus in sensu iisdem omnino contrario exponat; id quod facile patuisset, si *Woolstonus* integros patrum textus, et non mutilatos attulisset.

Praeterea, ut *cl. Uldericus Reiss* (1) recte ait: « Ss. patres (de miraculis Christi loquentes) sensum literalem manifeste adstruunt; tum quia fatentur, vera a Christo facta esse miracula: tum quia ex illis divinitatem religionis christianae commonstrant. Sed et ratio evidens persuadet, allegata paulo ante Christi opera in sensu literalis accipi debere; ac proin revera fuisse gesta, prout ab evangelistis referuntur. Nam neque mortuus vivere, neque

*D. Ioan. Lelandi recensio praecipuorum Scriptorum a Deistis editorum. Hannoverae, 1755. Epist. 7, seu art. Woolstonus.*

(1) De veris, falsisque miraculis, p. 2, sect. 4, c. 1, § 156.

(2) Vide supra sect. 2, n. 22 et 25,

paralyticus ambulare, neque caecus videre, talemque in seipso mutationem experiri potest, nisi reapse vivat, ambulet atque videat. Nec possibile est, ut alii convincantur, hoc factum esse, nisi eiusmodi homines vivere, ambulare, ac videre omnino perspectum habeant. Atqui tum ii, in quibus haec miracula sunt producta, vivendi, ambulandi, atque videndi facultatem, longo experimento probarunt; tum etiam alii plurimi, ac vel maxime Christi hostes, de factis id genus mutationibus plene convicti fuere. Praeclare hac de re inter alios ss. patres disseruit *Arnobius* lib. 6 contra gentes; qui proin iure optimo consuli meretur. » Hucusque laudatus auctor. Vide etiam, quae nos alibi (2) hac de re diximus.

66. COROLLARIUM. Ex dictis patet, falsum quoque et impium esse assertum auctoris *Cogitationum philosophicarum* (3) ac aliorum incredulorum, qui dicunt, miracula Christi non fuisse facta realia et physica, sed meras sensuum illusiones. Contrarium enim evidenter constat ex iis quae numero 65 modo diximus, et ex auctoribus hoc numero citatis. Profecto impossibile est, ut illa omnia tam in iis, qui sanati aut resuscitati sunt, quam in illis, qui testes horum prodigiorum oculati erant, per meram sensuum illusionem evenerint. Certe si vel minima deceptio locum habuisset, id Christo, eiusque discipulis pharisaei aliique iudaei exprobrassent; neque necesse fuisset, ut ii (4) ad calumniam confugerent, dicentes: *In Beelzebub principe dae-*

ubi praecipue notandum testimonium *Quadrati*, qui ex philosopho ethnico factus est christianus, et de veritate miraculorum Christi praecclare testatur. Item vide sect. 5, n. 51 et 52.

(3) § 50, et seq. (4) Luc. c. 11, v. 15.

*moniorum eiicit daemonia*. Praeterea scrutentur increduli historiam evangelicam de resurrectione Christi (1), illuminatione caeci nati (2), et *Lazari* resuscitatione (3): videbunt manifeste, in publicis hisce factis ne quidem potuisse ullam sensuum illusionem, aut aliam quamcumque fraudem intervenire.

### CAPUT III.

#### *De miraculis Christi sigillatim consideratis.*

67. QUÆRES XVIII. *Quid ad incredulorum dictoria, quibus primum miraculum Iesu Christi mutationis aquae in vinum in nuptiis in Cana Galilaeae impugnant, respondendum sit?* Antequam haec quaestio distinctius resolvatur, notandum est, quod increduli contra narrationem evangelicam huius primi miraculi a Christo patrati, varia opponant. Nam I. *Woolstonus* (4) ait, sibi probabile non videri, Christum severis gravibusque moribus viventem nuptiis interfuisse, praesertim cum in nuptiarum celebritate apud iudaeos magna fuerit morum licentia. II. Auctor *De l'histoire critique de J. C.* teste *cl. Bullet* (5), miratur, quod *s. Ioannes* (6) in describendo hoc miraculo sponsis, qui indubitate pauperes erant, attribuat *architriclinium* seu praefectum convivii nuptialis, qui non nisi in nuptiis nobilium aut divitum personarum constitui solet. III. Iterum

(1) Vide infra n. 127-154.

(2) Vide infra n. 82-85.

(3) Vide infra n. 83-94.

(4) Ita testatur *Cerboni* Theol. revelat. tom. 2, l. 5, q. 1, art. 2, § 2, n. 6.

(5) Réponses critiques, tom. 2, n. 44.

(6) Cap. 2, v. 8 et 9.

(7) Vide *Cerboni*, loc. cit.

(8) In opere germanico, cuius titulus latine reddi potest: *Horus* seu astrognosticum iudicium super Iesum, et eius di-

*Woolstonus* (7) *s. Chrysostomi* nomine et auctoritate abusus, et impius *Horus* (8) negant, miraculosam fuisse aquae conversionem, quia, inquit, non verum vinum productum fuit, sed Christus dumtaxat per immissionem alicuius liquoris secreta ratione effecit, ut aqua vini saporem indueret: in quo ait *Woolstonus*, invitati facilius decipi potuerunt, quia a multo potu, atque satietate ciborum stomachum iam male affectum habebant: IV. *Voltairius* (9) miraculum aquae a Christo in vinum versae evertere conatur, satyricè argutando: miraculum, inquit, istud iuxta narrationem evangelistae primum contingit sub fine convivii; tum scilicet cum omnes convivae iam mero incaluissent. Porro ebriis testibus non creditur etiam naturalibus ac obviis in rebus; quanto minus, cum agitur de prodigio aliquo? V. Increduli (10) Christum vituperant, quod aquam in vinum converterit in gratiam convivarum iam inebriatorum, iuxta illud architriclini effatum *Ioan. c. 2 v. 10: Omnis homo primum bonum vinum ponit; et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est*. VI. Denique denuo *Woolstonus* (11) Christum matri nimis acriter respondentem describi dicit in eo evangelii loco, ubi miraculum aquae in vinum versae narratur *Ioan. c. 2, v. 4*, ubi Christus ad matrem dixisse narratur: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea*.

scipulos. Edit. 2 an. 1734, p. 550. Verba in latinum translata haec sunt: *In nuptiis Canae, optimum illud vinum, quod antea aqua fuerat, constabat praecipue ex succo dulcium fructuum, quem Iesus in hydrium immiserat antequam aquam infundi iuberet*.

(9) In suo Dictionnaire philosophique, art. *Christianisme*.

(10) Vide *Bullet* opere cit., t. 1, n. 64.

(11) Vide *Cerboni*, loc. cit.